

Q. F. F. Q. S.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA,
DE

**THEOLOGIA
MARCI TULLII
CICERONIS,**

QVAM,

Indulgente Ampliff. Facult. Philoſ. in Reg. Acad. Aboënsi,
PRÆSIDE,

UIRO Maxime Rev. atque Celeberrimo,

**DN. CAROLO
MESTERTON,**

S. S. Theologiæ DOCT. nec non Log. & Metaph.
PROF. Reg. & Ord.

PRO GRADU,

Publico examini offert

JOHANNES M. HAGERSTEIN,

OSTROGOTHUS.

Die XVII. Decembr. Anni MDCCLIII.

Loco horisque consuetis.

ABOÆ, Impreſſit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland, JACOB MERCKELL,

VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo,

D^N. CAROLO
MESTERTON,

S. S. Th. DOCTORI, Log. ac Metaph. PROFESS.
Reg. & Ordin. nec non utriusque Consistorii Adfesso-
ri gravissimo, ut & Ecclesiarum in Pisis & Kustō

ANTISTITI vigilantissimo,
MÆCENATI & PATRONO MAXIMO.

Ἐπιτίμως ἂν ἐξέλαμψεν ὁ ἡλιος τριπεθήκη ταύτης τῆς ἡμέ-
ρας, ἐν ἣ τῶν ποδῶν σου, ἄνερ Τιμιώτατε, προκυλιθῆ-
μένη ἢ μετὰ με καὶ εὐχαριστήσουσα, τὴν ποικίλην σου χάριν ἐν
παύρησι δύναται ὁμολογεῖν. Ἐκ τῆς σου μεγαλοδωρείας ἐπι-
τηδεύειν τὴν σοφίαν, καὶ γέυσασθαι τῶ νέκτερος αὐτῆς τῶ με-
λιθδέως ἐμοὶ ἔξῃσι. Σε τόνου, ἄνερ Αἰδεσιμώτατε, διὰ πίστεως
ἄγω τιμῆς καὶ σέβομαι. καὶ ἐνέμων δέ σου τῆς χρηστότητος, ἀντιδό-
σεως ἐνθυμείσθαι ἠρξάμην, καίπερ ἔδεν ἔχων. Ἄλλως δ' ἂν δυ-
νάμην, τῇ δωρεᾷ ταύτῃ τῇ ἐνώνω αἰεῖσθαι. καὶ σύγε
δέξαι τὴν συζήτησιν ταύτην, νεαρῶς ἐξείργασμένην, δῶρον μὲν λε-
πτόν, τεκμήριον δέ σου, ὦ ἄνερ Σεμνότητε, ἐνεργημάτων. Λογ-
πὸν, τὸν θεὸν τὸν Παντοκράτορα ἔδέποτε πᾶνσομαι ἐπικαλέμε-
ν, ἵνα πάντοτε εὐδαίμων καὶ τρισόλβιος ζῆσιν, εἰς ἐπιτύξη-
σιν τῆς Ἀκαδημίας ταύτης, εἰς παραμύθιον καὶ συμφέρον τῶν
εἰκείων σου τῶν ευχρίων, ἐντίμων καὶ ἐδοξοτάτων, καὶ τὸ τε-
λευταῖον εἰς λυσιπέλειαν τῆς νεότητος τῆς ταῖς μεσασὶς δαβλυσι-
σης. καὶ ταῦτα μὲν, ἀμετακινήτως ἔχων τῆς περὶ Σε ἐπιστε-
θείας, ἄχει δὲ τῶ μεταλλάξαι ἢ ἐκείνῳ διαφένων

Maxime Reverendi atque Celeberrimi
NOMINIS TUI

Cluus humillimus,
JOHANNES M. HAGERSTEIN.



PRO OEMIUM.



Ui altiori iudicio ea examinant, quæ ad perfectionem humani ingenii, quatenus in hoc imperfectionis statu est parabilis, pertinent, Metaphysicæ locum inter scientias circulum eruditionis ingredients, negare non solent. Quid enim scientiarum in sphæra & optabilius, & majus Metaphysica, quæ primas ideas primarumque veritatum stamina, fundamenta & principia omnis cognitionis tradit, quibus non jactis nulla potest esse scientia, male autem jactis, fluctuans & incerta. Hujus scientiæ Principis licet variæ inveniantur partes, ea tamen orbe in erudito satis est decantata, quæ Xysto in Philosophico Theologia dici siveit Naturalis & ex rationis principiis de Deo ac rebus Divinis præcipit. Diversa equidem ratione Philosophiæ veteris ac recentioris ævi Prodromi hanc nobis exhibuerunt. Illi enim non nisi sparsim in scriptis & laciniis suis vestigia nobilissimæ hujus Metaphysices partis reliquerunt; hi vero systemata satis exasciata & polita subministrarunt.

Nihilo tamen minus ethnicorum præcipue sapientiorum Theologia Naturalis sua non defraudanda est laude. Per Heliconias terras satis superque notum est, quid Helmstadiensium quondam Theologus Dn. Doctor Schmiddius de Lucii Annæi Senecæ & Hippocratis nec non Celeberrimus olim Jenensium Professor Dn. Doctor Trevnerus, de Platonis & Luciani, atque Noster paucis ab hinc annis Philosophus & Theologus acutissimus B. Dn. Doctor Andreas Bergius de Aristotelis Theologia orbi literato obtulerunt. Horum omnium hac in parte opera excellentiora & illustriora longe sunt, quam ut nostris evehantur elogiis. De Theologia autem Ciceronis in paginis & foliis aliorum vix multa expressa & detrita invenire licuit. Nonnulla equidem de Ciceronis Theologia nobis exhibuit Academia olim Argentoratensis Professor Dn. D. Hardtschmidt, sed multum luminis illi acervo deest, at suus cuique gustus, ut emblemata habet gallicum. Quemadmodum enim de cibis pro suo quisque gustu corporeo iudicat; ita & de rerum pretiis pro suo quisque gustu mentali. Metuendi igitur nulla subest ratio, ne crambem centies coctam apponamus. Ciceronem enim tibi, L. C. heic non sistimus in enthea ipsius svada oratorem sed Theologum. Opus sane difficile, majoris vero momenti. Pulcrum namque non minus quam necessarium est, ut ratio humana pro gloria sui Creatoris pugnet. Fate-mur, non defuisse eorum sat numerosam phalangem, qui ἀσέβητος opprobrio Theologiam hanc Nostri in-usserunt; hos vero rigosos nimis iudices facile dixerimus. Negandum non est imbecilliora esse, quæ Theologiam

logiam ethnicorum constituunt, quam ut veritatis re-
 velatæ cynosuram æquiparare queant; Ciceronis ta-
 men Theologia ceteris gentilium, si non in omnibus,
 certe in plerisque palmam omnino præripit. De hac
 igitur in præsentî disputaturus, ne Deli instar inter
 insulas, aberrem exlex, tractationem hanc in duo ca-
 pita dispesco, quorum prius Theologiam Ciceronis
 theoreticam, posterius vero practicam quadantenus
 delineabit. Ea interim nitimur spe, fore, ut hos co-
 natus, C. L. fronte intueatur amicipi, probe explo-
 ratum habens: stellas fulgore, & homines ingenii flo-
 re differe. Unde Hellados ore satis est tritum: *ἡ
 αὐτὴ οὐ παντ' ὄρα* Faxit vero omnis Theologiæ Auctor
 Deus, ut quæ in ipsius suscipimus gloriam, successu
 gaudeant exoptatissimo!

CAPUT PRIUS

DE

Theologia Ciceronis Theoretica.

§. I.

Veritatis in regno, quod catenæ merito assimilatur
 aureis sapientiæ annulis connexæ, si quæ altioris
 indaginis est disciplina, Theologia profecto ejus est
 indolis, quæ κατ' ἐξοχήν sumitur pro iis, quæ Deus pe-
 culiari gratia & diviniore modo in subsidium & me-
 delam deficientis & ægrotantis nostræ rationis nobis
 patefecit. Sed huic significationi non est quod im-
 moremur, præcipue, cum ipse dissertationis nostræ ti-
 tulus longe aliam ostendat. De Theologia enim Mar-
 ci Tullii Ciceronis heic loquimur, Cicero autem e-

rat ethnicus, ergo revelatæ Theologiæ notitia caruit, & quidquid de Deo affert ex principiis rationis elicit. Tota adeo ipsius Theologia est naturalis, seu e lumine rationis petita, qua homini quomodo in hac vita Deum agnoscere, atque colere, & demum in altera vita beate perfrui possit, demonstrare intendit. Ad hunc ordinem referenda sunt hæc ejus elegantissima effata: Si qua, differit, oblectatio animi quæritur requiesque curarum, quæ conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid acquirunt, quod spectet & valeat ad beate vivendum, hæc certe ars est (a). Hoc etiam adjungit dictamen; Hæc est ad agnitionem animi pulcherrima & ad moderandam religionem necessaria (β) Immo illa effectrix beatæ vitæ (γ) Ipsi dicitur. Non inficias eo ipsum Theologiæ nomen in operibus scriptoris Nostri vix legi, concretum vero ejus, quod est Theologus binis invenitur in locis (δ), eo scilicet sensu, ut designet aliquem de Deo & rebus a Deo proficiscentibus differentem. Loco vero Theologiæ forsan ab eo positæ sunt, quas aliquoties adhibet appellationes, sapientia, scilicet, scientia rerum Divinarum, & scientia omnium princeps (ε) Quæ omnia, ut sua radiant luce; ita illorum explicationi inhærere non vacat.

(a) *Lib. 2. Officior. §. 6.* (β) *Libr. 1. de Nat. Deor. §. 1.* (γ) *Lib. 2. de Finib. bonor. & malor. §. 87.* (δ) *Lib. 3. de N. D. (ε) Lib. 1. offic. §. 153.*

§. II.

Sed ut quodvis regnum suis gaudeat legibus, legumque moderatoribus; ita quævis disciplina sua habet pri-

principia, quæ sunt velut primi annuli in veritatum catena. Sine ejuscemodi vero principiis nec ulla scientia firmo staret talo, nec ultra experientiæ circulum promoveret pedem, hinc nec Theologia Ciceronis, quæ adeo suo sulca est principio, ipsa nimirum ratione. Ratio namque est inventrix artium, jurium, medicinarum, & quidquid in hac vita sapientiæ, potentiæ, virtutis & gloriæ ab hominibus possidetur (§) Si qui adeo errores in Theologia Ciceronis occurrunt ii non sunt rationis, sed Ciceronis ratiocinantis. Quod enim in ratiociniis Ejus Theologicis verum est id rationi, quod vero falsum Ipsi acceptum est referendum. Vidit hoc ipsum Cicero, hinc de tristi ratiociniorum suorum defectu sæpenumero questus est. Præcipuum quidem impedimentum animi labem esse perspiciebat. Deo autem originem ejus attribuere vetuit idea bonitatis Ejus: hominem vero ipsum istius reum pronunciare culpæ, passionum, quæ ei invito non raro obstrepat violentia, prohibere videbatur. Unde non potuit non graviter angī, quoties vel calamitas magna, vel quidam animi instinctus eum ad sollicitam harum rerum meditationem impelleret. Videamus ipsius querelas: Utinam, inquit, veram religionem tam facile invenire possem, quam convincere falsam (η). Et: animi labes nec diuturnitate vanescere, nec manibus ullis elui potest (θ) Immo radicitus unquam. Lethale enim hoc virus nobis adhæret, quamdiu commercium animæ & corporis durat, & vinculum inter hæc duo amicissimum sibi constat.

(§) Lutherus cit. in *dissertat. Silentz. Upsal. A. 1718. habita de cognat. disciplinar. Cap. I. §. 3. p. 21.* (η) *Lib. I. de N. D.* (θ) *de Legib. Lib. 2. p. 331.*

§. III.

IN mente autem nostra duo quasi loca observamus; ad quæ perpetuo motu tenditur, verum scilicet & bonum; in neutro tamen vera quies obtinetur, nisi invento Deo. Si enim Deum non credas, omnis fides, sanctitas, & justitia tollatur necesse est. Hinc ipsis ethnicis religio dicitur vinculum omnis societatis & legum quibus continetur propugnaculum. Ergo scelus esse olim censuit Socrates de creaturis agere, & opificem omittere. Quid vero de Deo senserit Noster excutiendum est. Magnifica sane sunt encomia, quibus eum extollit Tullius. Jovem quippe appellat Dominatorem rerum, omnia nutu regentem, Patrem Divumque hominumque, Præsentem & Præpotentem Deum, Excellentem præstantemque naturam, quæ omnia fecit, movet, regit, gubernat nec non optimum maximum, cujus nutu & arbitrio cælum, terra, mariaque reguntur (α). Quoniam vero omnia Divinum referunt artificium, propensione naturali adductus fuit Cicero ad assensu honorandam hanc propositionem Deus existit. Probat igitur Dei existentiam ex omnium gentium sententia: omnibus enim innatum est & animo quasi insculptum, esse Deos (β). Et, de ipsis hominibus nulla gens est, neque tam immanis, neque tam fera, quæ non, etiam si ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat (γ). Porro hoc evincit ex intuitu hujus universi: Quis est tam vecors, ait, qui cum suspexerit in cælum Deos esse non sentiat; & ea, quæ tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac vicissitudinem persequi

sequi possit, casu fieri putet (δ). Denique a corpore humano ad cujus admirandam structuram stupefcit omnis ingenii humani vis & acumen idem adstruit, de quo integrum discursum videre possumus in Lib. II. de Nat. Deor. a §. 134. ad §. 153, quem si totum allegaremus nimium sane spatii absumeret. Ex his liquet, Ciceronem atheorum & scepticorum sententiæ atque turpissimæ cohorti maxime infestum fuisse. Quid? ii, inquit, qui dixerunt, totam de Diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus reipublicæ causa, ut quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret; nonne omnem religionem funditus sustulerunt? (ε) Scepticos vero perstringit dicens: Non sumus nos ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam, quid sequatur (ζ) Mala enim & impia consuetudo est contra Deos disputandi, sive animo id fiat, sive simulate (η). De ipsa etiam Dei essentia insigni certe modestia & humanitate sententiam suam profert: Roges me, inquit, qualem Deorum naturam esse dicam? nihil fortasse respondeam. Quid non sit, citius, quam quid sit dixerim. Roges me quid aut qualis sit Deus? Auctore utar Simonide, qui rogatus de Deorum natura, deliberandi causa sibi unum diem postulavit; cum idem ex eo postridie quæreretur, biduum petivit, cumque sæpius duplicaret numerum dierum, & admirandus, qui quæsierat illum, rogaret, quare ita faceret? quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior (θ). Aliqualem tamen nobis, essentia divinæ exhibet delineationem. Deus, ait, qui a nobis

nobis intelligitur, alio modo intelligi non potest, nisi mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretionem mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque prædita motu sempiterno (1).

(α) *vid. Lib. 2. de N. D. §. 4. Lib. I. d. N. D. §. 100. Orat. pro Sext. Roscio §. 131. (β) Lib. 2. de N. D. §. 12. (γ) Lib. I. de Legib. §. 24. (δ) vid. orat. de Harusp. Resp. §. 19. conf. Lib. 2. de N. D. §. 4. (ε) Lib. I. de N. D. §. 118. (ζ) Lib. 2. Officior. §. 7. (η) Lib. 2. de N. D. in fine (θ) Lib. I. de N. D. §. 57. & 60. (ι) Lib. I. Tusc. quæst. §. 66.*

§. IV.

AD ipsa jam attributa Divina properabimus, & quam de illis Cicero, qui in famæ theatrum dudum prodiit, fovet sententiam perspiciemus. Hæc fere omnia Latii hoc decus & admisit & adstruxit. Independentiam iis asserit verbis, quæ ad calcem fere §. præcedentis adduximus. Nam omnia movere & præditum esse motu sempiterno, quid aliud involvit, quam non motum esse ab alio, quod est ipsa independentia. Videamus igitur ipsum motum, qui tormentum audit Physicorum, insignem Ciceroni nostro scenerasse lucem ad cogitandum de attributis summi Numinis. Unitatem indicat introducendo antiquum Megaricorum Philosophum Xenophanem dicentem: unum est omnia, & id est Deus (α). Simplicitas ex proxime antecedenti §:pho elucet, ubi Deum esse inconcretum & incompositum adeoque simplicissimum indigitat. Immutabilitatis etiam recordatur, quando hoc laudati Xenophanis recenset: Deus non est mutabilis (β). Infinitatem & immensitatem Deo attribuit cum Anaxagora (quem

(quem viri summi, in maxima rerum scientia elogio insignit (γ).) Eum nominans: Mentem infinitam (δ). Tandem Deo expresse adscribit Æternitatem; Dii enim semper fuerunt, et nati unquam sunt, siquidem æterni sunt futuri (ε). Atque hæc attributa viri eruditionis clypeo cincti vocare siveverunt negativa. Occasio etiam heic sese offert attributa sic dicta positiva *ὡς ἐν ὄντι* Dei perlustrandi. Primum horum est Omnipræsentia Divina, cujus Noster ex mente Thaletis mentionem injicit: Thales, inquit, sapientissimus inter seprem, homines statuit existimare oportere, Deorum omnia esse plena, Deos omnia cernere; fore enim omnes castiores (ζ) Hanc concatenato nexu excipit Omniscientia, quam egregie omnino Noster Parens eloquentiæ prædicat: Deo nihil obscurum esse potest (η) ubi igitur locus fuit errori Deorum; Deus quomodo falli potuit (θ). Veneratione itaque Deum profequitur ceu verum *καρθιωγυωσις*, hoc est intimiora mentium perspicientem penetralia. De veracitate Divina altum in Cicerone est silentium, utpote ignaro promissionum Divinarum, in sacris Occurrentium Bibliorum oraculis. Hoc in puncto a janua aberrarunt, quotquot sint, gentiliū Philosophi. Justitiæ vero Divinæ non immemor fuit Tullius: Hæc, inquit, est Deorum voluntas, ut nihil expetatur ab ipsis, nisi quod justum sit atque honestum (ι). De justitia remunerativa hæc adduxit. Qui se integros castosque servarunt, quibusque fuit minima cum corporibus contagio, fueruntque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, a quibus sunt profecti, reditus fa-

cile patebit (x). Justitiam denique vindicativam Deo adsignat ejusmodi proferens sermonem: Deorum tela in impiorum mentibus figuntur (λ); & qui humanis sese vitiis contaminarunt, & se totos libidimbus dederunt, iis demum quoddam iter est seclusum a consilio Deorum (u). Omnipotentiam Dei accurate fatis depingit: Nihil, inquit, est præstantius Deo, ab eo necesse est, mundum omnem regi, nulli naturæ est subjectus Deus, aut obediens, sed omnem ipse regit naturam (v). Denique vere proprium & præstans Dei attributum immensam Ejus bonitatem adeo fervide evehit Marcus noster, ut nihil supra: Diis, ait, immortalibus, primum natura nos conciliat; eorum enim cœlesti spiritu suscipimur in lucem & augemur (ξ). Opere etiam pretium est afferre hoc ejus Divinæ bonitatis testimonium, documentum & argumentum evidentissimum: Qui negat in Deo esse gratiam, tollit id, quod maxime proprium est optimæ & præstantissimæ naturæ; quid enim est melius, aut quid præstantius bonitate & beneficentia? Qua si carere Deum vultis, neminem Deo, nec hominem, nec Deum, carum, neminem ab ipso amari, neminem diligi vultis (θ).

(α) *Lib. 4. Acad. quest. §. 118.* (β) *Loco §. cit.* (γ) *Lib. 3. de orat. p. 278.* (δ) *L. 1. de N. D. §. 26.* (ε) *l. c. §. 90.* (ζ) *L. 2. de leg. §. 26.* (η) *l. 3. de N. D. §. 38.* (θ) *l. c. §. 76.* (ι) *orat pro domo sua. §. 107* (x) *L. 1. Tusc. q. §. 72.* (λ) *or. de de Har. ref. §. 39.* (u) *L. 1. Tusc. q. §. 72.* (v) *l. 2. de N. D. §. 77.* (ξ) *o. de Haruff. ref. §. 57.* (θ) *L. 1. de N. D. §. 121.*

§. V.

AD id jam quod est palmarium in doctrina de De festina-

stinaret discursus noster, ipsum nimirum Sacro Sanctæ Trinitatis mysterium, sive quod Deus in personis sit Trinus, qui in essentia unus manet. Sed quoniam hoc dogma omnem rationis sibi relicta vim eo usque superat, ut sine peculiari revelatione Divina, ne quidem somniare de eo possit, in scopulos heic rationis allidit navicula, & in ipso quasi ponto cursus sufflamina-tur. Nam ratione, qui gestit mysterium hocce compre-hendere, illudve ad decempedam ejus ducere, tam frustra & inepte se gerit, ac, qui auribus vult vide-re, & oculis audire. Non enim *παρρησια* sunt hæc duo ratio & fides, verum diversissimi gradus & ge-neris. Nec rationi majori jure *αυτοκρατορικόν* relinqui potest judicium de hoc & aliis mysteriis fidei, quam discipulo literarum omnium ignaro de Magistri sui do-ctrina & capacitate se erudiendi. Mirum ergo non est totum hocce dogma de Sacro Sancta Trinitate Ci-ceroni plane fuisse incognitum, utpote, qui in hoc angustos Philosophiæ suæ cancellos transgredi non poterat. In devia igitur tendunt non contemnendæ a-lia eruditionis viri, qui vel cum Poireto (α) myste-rium hocce jurisdictioni rationis subjiciunt, vel cum Steucho (β), & Mornæo (γ) in illum errorem prola-psi sunt, ut sibi pervaserint, Platonem aliosque Phi-losophos præcos vi rationis in notitiam mysterii hu-jus penetravisse. Sed, nulla ratione hi carbones dealbari possunt, nec ullum merentur tot mendacia favorem.

(α) *In cogit. ration p. 16.* (β) *In Libr. de Perenni Phil. p. 20.*

(γ) *in Libr. de verit. Relig. Christ. p. 89.*

§. VI.

Commemoravimus antea (S. sc. IV.), excellentissi-
mum

mum illud Divinæ Majestatis attributum, quod bonitatem appellamus, ex quo profecto largos in omne genus hominum benignitatis fluvios emitti Tullius Noster & admisit & prædicavit. Horum ceu primarios Creationem & Providentiam maxime celebrat dicens: Quis est tam vecors, ut non intelligat Deorum Numine, hoc tantum imperium (loquitur de structura hujus universi quam publicum quoddam Divinæ sapientiæ theatrum merito dixeris,) esse natum (α). Cum vero fieri non possit, ut Deum sine provida omnium rerum cura concipiamus, vi tritius illius: Si datur Deus, ergo mundus regitur Providentia. Lucidum etiam est Ciceronem Nostrom non potuisse non hanc ipsam, quam inter delicias humani generis merito referimus, Deo tribuere. Hinc hæc ejus est assertio: Dico igitur Deorum providentia mundum & omnes mundi partes & initio constitutas esse, & omni tempore administrari. - - Omnem Deus regit naturam, etenim si concedimus, intelligentes, esse Deos, concedimus etiam esse providentes, & rerum quidem maximarum (β). (α) *or. de H. R. §. 19.* (β) *l. 2. de N. D. §. 75.*

§. VII.

CUicunque grave non est vastissima omnipotentis Dei opera attentis usurpare oculis; huic non potest non manifestum esse, hæc inter hominis quoque fabricam admirabili pulcritudine ac decore corruscantem referendam esse, quod aurea hæc Ciceronis effata luculenter probant atque evincunt. Animal hoc providum, inquit, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii, quem vocamus hominem, præ-

præclara quadam conditione generatum est a Supremo Deo, Solum enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps est rationis & cogitationis, cum cetera sint expertia (a). Altius adhuc progreditur noster & animæ immortalitatem adscribit pronuncians: Non assentior iis, qui hæc nuper disserere cœperunt, cum corporibus simul animas interire, atque omnia morte deleri; plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt, quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur (b).

(a) *Lib. 1. de Leg. §. 22.* (b) *Libr. de amicis. §. 12.*

§. VIII.

Licet gentilitiæ tenebræ & sacrorum carentia Bibliorum effecerint; ut hic Noster, de statu innocentiam nihil certi affirmare potuerit; pravaram tamen mentis concupiscentiarum & inde etiam corruptam hominis naturam Ciceronem non omnino fuisse ignarum & quæ §. 2. adduximus & hæc ejus designant verba Duplex, ait, est vis animorum atque naturæ: Una pars in appetitu Posita est, quæ est *æquæ* græce, quæ hominem huc & illud rapit; altera in ratione, quæ docet & explicat, quid faciendum fugiendumve sit ita fit, ut ratio præsit, appetitus vero obtemperet (a) Quivis vero saltem non fugitivis oculis hæc inspiciens deprehendit Tullium de homine peccatore vix convenientem fovere hypotesin, cujus ratio non est alia, quam ea, quæ in initio hujus §. allata est, quod sc. extra lumen verbi Dei fuerit constitutus. Habet enim se revelatio instar tubi cujusdam optici, cujus ope multa videmus in
prin-

principiis rationis delitescere, vel confuse admodum cognita, vel plane ignorata. Accedat ergo ad cœlestem hanc facem & phosphorum, quo defectus & tenebræ ejus dispellantur! Nostrum vero non est in gratiam Ciceronis ea addere, quæ ipsemet vel non crediderit, vel etiam ut ethnicus plane nesciverit. (a) *L. I. offic. §. 101.*

§. IX.

UT vero notitia lapsus hominis & peccati originalis Cicero destitutus erat; ita admiratione minime est dignum altum omnino apud illum esse silentium de mediatore inter Deum & hominem. Divina enim auctoritate, supra rationis & Philosophiæ captum edocemur: sine fide in Mediatorem Christum neminem Divina amicitia æternaque salute potiri posse. Quod eam solum ob causam ex Sacro Sancta Theologia commemorare liceat, ut ostendam rationem heic subsistere. Hæc sane est meta rationis sibi relicta, ultra quam naturali potentia progredi non datur. Pœnitentiam equidem non oblivioni tradit Cicero dicens: Cujusvis hominis est, errare, nullius, nisi incipientis, in errore perseverare - - Si est erratum, redeamus in viam, optimus est portus pœnitenti, mutatio consilii (a) sed nulla heic fidei mentio & quid mirum? Fides enim, quæ Christianæ militiæ decus merito audit & insigne, ethnico qua tali est impossibilis, quoniam nullam apertioem & familiariorem Dei misericordiam sibi habet revelatam, necesse ergo est rationem ejus ideis suis diffidere, & timere fallacias, præsertim in magna afflictione, & tremenda illa hora mortis. (a) *O. Phil. 12. §. 5. & 7.*

§. X.

Hanc mortem corporis Tullius migrationis commutationis vitæ, discessus, secretionis, ac directus nominibus appellat, quam a Diis immortalibus nec supplicii causa esse constitutam, sed aut necessitatem naturæ, aut laborum ac miseriarum quietem involvere opinatur (α). *ὡς ἐν παρῶν* observamus: Cicero- nem licet Stoicorum opinionibus in multis addictum; *ἀναγκείας* tamen crimen nunquam approbasse. Illud, inquit, breve vitæ reliquum nec avide appetendum, nec sine causa deserendum est. Vetat enim Pythagoras injussu Imperatoris, id est Dei, de statione vitæ decedere (β). Morti quidem corpus nostrum esse obnoxium statuebat, at, resurrectionem carnis eum credidisse probari nequit, quin potius omnia his contraria eum protulisse constet, eo quod putaverit animam longe feliciorē fore, modo a corporis commercio plane segregaretur (γ). Quibus infirmitas & hominum gentilium & eorum Theologiæ adfatim evincitur. **Homini** autem Christiano non integrum est quidquam dicere, quod Sacræ pandectæ est contrarium. Qua oculos aperiēte vel inviri videmus asser- tionem hanc Ciceronianam non posse cum Divinis consistere oraculis. Mundi vero consummationem Ci- cero indubio adstruxit. Ex eo, inquit, eventurum nostri putant, ut ad extremum omnis mundus igne- sceret; cum humore consumto, neque terra ali pos- set, neque remearet aër, cujus ortus aqua omni ex- hausta, esse non potest. Ita relinqui nihil præter ignem, a quo rursum animante ac Deo renovatio mundi

di fieret; atque idem ornatus oriretur (δ). Porro iudicium extremum, admisit. Nam, ut Noster individuus Socratis erat comes & sectator; Ita etiam cum moribundo Socrate speravit se olim venturum, ad iudices istos divos ac supremos, Minoem, Rhadamanthum; Æacum & Triptoleum (ε), quos vere iudices esse dicit. Quæ §. 4. de iustitia Dei vindicativa adduximus, oculis subjiciunt nostris quam opinionem fovet Cicero de Damnatione æterna, quo vero hæc enodatiora evadant addimus: Itaque, (impium), inquit, pœnas lucent, ut eos agitent insectenturque furia, non ardentibus rædis, sicut in tabulis, sed angore conscientia, fraudisque cruciatu. Illi igitur impium etiam apud inferos pœnas parricidii luunt (ζ). Ultimum denique est ut aperiamus, quæ Tullii fuerit sententia de felicitate hominum in altera vita. Multa sane hac in parte cum Platone jactat dicens: Magna me spes tenet, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem; mors ei somno similis est, qui nonnunquam sine visis somniorum placidissimam quietem affert. Dii boni! quid lucri est emori! aut quam multi dies, reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur, cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis? Quis me beator? Essentiam vero hujus felicitatis non in hac, sed in altera vita duraturam esse hic æloquentia princeps omnibus calculis confirmat. vid. l. 1. Tusc. q. §. XLIV. & §. XCVII.

(α) o. Cat. 4. § 7. conf. L. 1. Tu. q. §. 70. (β) L. de Sen. §. 72.
 (γ) L. c. §. 80. (δ) L. 2. de N. D. §. 118. (ε) L. 1. Tu. qu. §. 98.
 (ζ) L. 1. de Leg. §. 40. & Or. Philip. 14. §. 32.

§. XI.

Cum autem ἀθεότης & πολυθεότης crimen omnibus fanis Theologiæ Naturalis principiis & veritatibus ingentem minetur stragem, dubium videri posset, utrum ab hoc opprobrio liberandus sit Tullius, utpote, qui vel sexcentis vicibus pluralitatem Deorum adseruit. Horrendum quidem hocce commentum gangrenæ instar inter ethnicos crevit; facile tamen e notione Entis perfectissimi explodi posset, si nostri id jam esset instituti. Ut dicam quid res est: Licet Consul Noster more loquendi inter gentiles per vulgato utatur; probabili tamen ratione contendimus, illum, si non aperte, tacite tamen, negasse plurimum ejusdem essentiæ Divinæ individuorum. Nomine vero plurali eam ob causam utitur, quoniam tum temporis periculosum erat in republica tam severa unitatem Dei adstruere. Cicero probe memor erat pœnæ Socratis, qui hujus assertionis causa vita mulctatus erat. Accedit denique, quod in omnibus fere Tullius Platonem secutus fuerit. Unde maluit cum eo errare, quam cum aliis verum statuere, L. I. Tusc. Qu. §. XXXIX. Quem vero fugit Platonem unitatem Dei credidisse?

CAPUT POSTERIUS.

DE

Theologia Ciceronis Practica.

§. I.

Quamvis omnia Theologiæ Naturalis Theoretices asserta tendere debeant ad Gloriam Summi Numinis

C

minis

minis Illustrandam, nostram & aliorum felicitatem promovendam, atque ideo in praxin certo sensu influant, sunt tamen alia, quæ immediate, alia mediate praxin ingrediuntur. Pro duplici hac confidentione Theologiam Ciceronis in Theoreticam & practicam dispescere placuit. Nam prius est Deum scire; consequens colere, ut erudite monet Tullius ille Christianorum Lactantius L. IV. inst. Div. C. IV. Quis enim id agere potest, quod non aliqua saltem ratione novit. Et cum omnis Theoria tendat ad praxin, pariter patet Theologiam esse debere practicam. Egi-
mus hætenus, Cap. scilicet præcedenti, de Theologia Ciceronis Theoretica, sequitur ergo jam vi promissi & methodi nostræ Ciceronis Theologia Practica.

§. II.

DEUS est ipsa veritas, ipsa proportio, ipseque ordo. Quantum igitur in homine est imitationis Dei, tantum quoque est proportionis & ordinis. Quantum vero a sublimi hac norma aberrat, tantum quoque est perturbationis & confusionis. Ad hanc vero imitationem Dei adspirare omni ævo annisi sunt homines, sed pro diversitate luminis dispari prorsus ratione. Quousque vero Tullio hoc in puncto pervenire licuit jam sumus visuri. Subjectum operationis hominem constituit ad beatitudinem æternam contendentem. Animus enim, inquit, ingeneratus est a Deo: ex quo verè vel agnatio nobis cum cœlestibus, vel genus, vel stirps appellari potest. Itaque ex tot generibus nulum est animal, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei (a). Hominem vero instar viatoris confi-

considerat & his utitur verbis: Ex vita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo: comorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi locum dedit (β).

(α) *Lib. 1. de Leg. §. 24.* (β) *De Sen. §. 84.*

§. III.

HUJUS vero felicitatis Auctorem agnoscit Deum. Attendant igitur homines, ex rigore doctrinæ Ejus, sese ita a Creatore esse conditos, ut Dei cognitionem cælum intuentes, capere possint (α). Diligunt enim nos Dii, sunt benefici, generique hominum amici (β). Unde liquet, quoniam Deus nos ad sui cognitionem creavit, simul etiam ad beatitudinem in cælo futuram condidit. Porro ex his constat, Deum ad largiendum homini beatitudinis brabeum, alma erga mortales adductum fuisse bonitate. Quare etiam Tullius Noster quoties Ipsi ansa datur de hac differenditoties illam quam maxime tervidis prædicat encomiis.

(α) *Lib. 2. de N. D. §. 140.* (β) *Lib. 2. de Div. §. 102.*

§. IV.

AD scopum vero præfixum, quo homo viator peringat subsidia quædam Noster præscribit, quibus sollerter uti debet. Hæc ipsi nomine religionis veniunt (α), utpote quæ officia erga Deum, erga seipsum & erga alios complectitur. Communi vocabulo officia erga Deum Cultum, viri alta eruditione exculctoque ingenio præditi appellant, qui est duplex internus & externus. Qualem vero cultum internum Marcus noster esse voluerit hoc ejus satis superque ostendit apophtegma: Cultus Deorum, inquit, est optimus,

idemque castissimus atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, & incorrupta & mente & voce veneremur (β). Requirit ad hunc cultum illud, in quo tota hominis felicitas consistit, volui dicere Pietatem, quæ est virtutum princeps atque regina, & ipsi vocatur iustitia adversus Deum (γ), quæ ei grata est (δ). Cui subjungit Sanctitatem, quæ Ipsi significat Scientiam colendorum Deorum (ε). Huc etiam pertinet Timor ex Præsentis & omniscientis Dei veneratione proficiscens. Quis enim potest, ait, cum existimet, a Deo se curari, non & dies & noctes divinum Numen horrere? Et si quid adversi acciderit, extimescere, ne id jure evenerit (ζ)? His finitimus est amor, seu affectus ille filialis, quem ipsamet natura, Duce Deo, tanquam Parenti Maximo debemus, de quo Noster, ubi De Dei Bonitate loquitur, Cap. 1. & §. 4. longe egregia profert. Denique nec silentio prætereunda est Patientia, de qua Tullius hoc modo sermonem instituit: Homines nos esse, meminerimus, ea lege natos, ut omnibus fortunæ telis proposita sit vita nostra; neque esse recusandum, quominus ea, qua nati sumus, conditione vivamus, neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio evitare possumus (η). Atque hæc sunt potiora præcepta de cultu Dei interno, quæ ut homines oblerent, Cicero graviter urget. (α) *conf. Lib. 2. de N. D. §. 72.* (β) *L. C. §. 71.* (γ) *Lib. 1. de N. D. §. 116.* (δ) *L. 2. de Leg. §. 25.* (ε) *L. 1. de N. D. §. 116.* (ζ) *L. 4. Acad. qu. §. 121.* (η) *Ep. ad Famil. 16. L. 5.*

§. V.

Quod vero ad cultum Dei externum attinet, postulat

stulat hic Noster, ut nonnullas notemus conclusiones praxi inservientes, quarum primarias saltim adferre placet. Harum in numero est, ut a Diis immortalibus capiamus agendi primordia (α). Qua in re laudatissimo suo exemplo prævit Cicero. Quoties enim in pleno senatus confessu sermones haberet publicos, toties a Dei invocatione auspicatus est (β). Nec de Deo temere, sed moderate loquendum esse svadet dicendo: Æquum est, hominem de potestate Dei timide & pauca dicere, - ne aut invisa Diis immortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur (γ). Nulla enim est erga Deos pietas, nisi honesta de Numine eorum opinio (δ). Præcipit ergo ut Deum precemur. Nam pietate & justis precibus Deorum mentes placantur (ε). Pro beneficiis denique Deo gratias agendas esse sedulo inculcat: Hæc unica (gratæ mentis) virtus non solum est maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. - - Qui sunt Sancti? Qui religionum colentes, nisi qui meritam Diis immortalibus gratiam, justis honoribus, & memori mente persolvunt? Quæ enim amicitia potest esse inter ingratos (ζ)?

(α) *L. 2. de Leg. §. 7.* (β) *vid. or. in Vatim. §. 14.* (γ) *or. pro Leg. Manii. §. 47.* (δ) *or. pro domo sua. §. 107.* (ε) *or. pro Cluent. §. 194.* (ζ) *orat. pro Plantio §. 80.*

§. VI.

SED nec desunt ex mente Tullii, officia, quæ homini viatori erga se ipsum exercere fas est, ea vero sine adcurata cognitione sui nunquam implet. Hinc namque homini enascitur occasio considerandi, cui originem debet, quis & qualis sit, tum respectu vitæ auctoris,

toris, tum sui ipsius, tum aliorum hominum, & denique quæ officia ipsi incumbant. Homo, fatente Nostro, duabus absolvitur partibus anima & corpore, ergo tam huic quam illi, ob arctissimum, quod inter has partes intercedit vinculum, sua exhibere debet officia. Animæ, utpote partis præstantioris cura primum sibi vindicat locum. Unde Cicero erudite pronunciat: suum quisque noscat ingenium, acremque se & vitiorum & bonorum suorum judicem præbeat; ne scenici plus quam nos videantur habere prudentiæ: Illi enim non optima, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt (a). Et hujus præcepti (nosce te ipsum) tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini, sed Delphico Deo tribueretur, nam qui se ipsum norit primum aliquid sentiet se habere quasi divinum, ingeniumque in se suum sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit, tanto munere Deorum semper dignum aliquid & faciet & sentiet (β).

(a) *Lib. I. offic. §. 114.* (β) *Lib. I. de leg.*

§. VII.

Corpori etiam sollicita debetur cura, quoniam vita, quæ fundamentum omnium bonorum temporalium & æternorum occasio Grotio apposite satis dicitur (a), corpore male se habente misera admodum sit, eoque concidente, ipsa quoque concidat. Ergo quemadmodum homo sine lumine videre non potest; ita sine cibo potuque vita non amplius conservatur. Quovis ideo alimentorum genere, quæ sanitati conveniunt, licite fruatur, tantumque cibi & potionis adhibeatur, ut reficiantur vires non opprimantur (β). Hinc ve-
tantur

tantur contraria: ebrietas, ingluvies, aviditas & voracitas. Nam & corporis vires extenuantur & cultui Divino impedimenta ponuntur, & memoriæ intellectusque acies hebescit & suffocatur, immo, quod perniciosissimum est voluntati depravatæ imperii occupandi relinquitur locus. Multi etiam intemperanter vivendo fœdos contrahunt morbos, ipsamque mortem non raro sibi accelerant ex quo intelligitur, inquit Noster, corporis voluptatem non satis dignam esse hominis præstantia, eamque contemni & rejici oportere (γ). vestitu quoque & omnibus, quæ necessaria sunt corpus instruamus, in quibus tamen ut in plerisque rebus, mediocritas optima est (δ), ne quid a nobis fiat, nisi honeste & decore (ε).

(α) *Lib. 2. de jure belli & pacis cap. 24. §. 6.* (β) *cat. Major. c. XI.* (γ) *Lib. 1. offic. cap. 30.* (δ) *Lib. 1. offic. §. 130.* (ε) *Lib. 4. de fin. Bon. & mat. §. 18.*

§. VIII.

DEus vero, ut perfectissimus & optimus est; ita non hominem homini lupum creavit, sed ea lege subsidiisque voluit instructum, quorum beneficio mutua quilibet commoda procuraret. Perspexit hoc etiam Cicero, ergo officia, quæ aliis sunt exhibenda solertiori studio instillat: Non solum nobis, inquit, nati sumus, sed homines, hominum causa sunt generati, ut ipsi inter se alius alii prodesse possent: In hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium afferre, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem (α). Hinc exuere hominem vel humanitatem

ratem dicitur (β), qui suppressis his officiis aliis non bene, sed male esse vult. (α) *L. bi 1. offic. §. 22.* (β) *orat. pro Ligar. c. 5.*

§. IX.

Per præcipuas igitur vitæ hujus stationes ansa datur expatiandi, & quid hæc officia unicuique dictant perpendēdi. Ordinemur ab eo, qui umbram Dei gerit ex Arabum loquendi modo, ejusque vicarium in his terris agit, atque contemplatur officia Magistratus erga subditos & vice versa. Noster hæc munia in medium profert: Magistratus est intelligere, se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges, jura describere, ea fidei suæ commissa, meminisse. Privatum (subditum) autem oportet æquo ac pari cum civibus jure vivere, neque submissum & abjectum esse, neque se effertentem: tum in republica ea velle, quæ tranquilla & honesta sunt; talem enim & sentire, & bonum civem dicere solemus (α). De officiis Parentum & liberorum hæc subministrat: Natura; inquit, tributum est, ut ii, qui procreati sunt, a procreatoribus amentur (β). Præceptores vero cum tanquam alteri parentes habendi sint, erga quos iterum discipuli ad instar filiorum sese habeant, nec horum officia oblivioni tradit Cicero. De illis hæc ejus est sententia: Nullum munus Reipublicæ afferre majus meliusque possumus, quam si doceamus & erudiamus juventutem, iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrænanda atque coercenda sit (γ). De his vero, quid eorum est officii, monet: Pædagogum nostri jure vetustatis plurimum benevolentiam postulabunt,

stulabunt, qui negligendi non sunt sed colendi (d). Nec silentio præterit Tullius conjugum officia, quæ in reciproco amoris affectu his ponit verbis: prima societas in ipso est conjugio, id autem est principium urbis, & quasi seminarium Reipublicæ. Et hæc sanguinis conjunctio devincit sibi caritate homines (e). Denique his annectit officia erga inimicos. Adversarium, dicit, nobilitate, ingenio, virtute præstantem non modo exrollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem; hæc qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico (f).

(a) *Lib. I. Offic. §. 124.* (b) *Lib. 4. de fin. Bon. & mal. §. 17. adde L. I. Of. §. 12. & or. pro Cluent. §. 17.* (c) *Lib. 2. de Divin. §. 4.* (d) *de amicitia §. 74.* (e) *L. I. Offic. §. 54.* (f) *orat. pro Marc. §. 8.*

ET hæc adduxisse sufficiat de Marci Tullii Ciceronis Theologia, quæ in acie Apollinis instructa, si non primum, nec tamen ultimum tenet locum. Si enim omnia, quæ huc referri possent, adduceremus, vel tvadam ipsam defatigaret argumentū hocce dicendi ubertate longe abundantissimum, quod quivis, modo non gravis camenarum est hostis, largitur. Frangere quidem nycem conatus est Cicero; sed nucleum non attigit. Idem ei contigit ac flumina aliquando trajecturis, ut infra metam appellere necessum habuerit. Hinc difficilior Ipsi sæpe est exitus, quam ex labyrintho. Defectibus enim & infirmitatibus Theologia Ejus laborat. Ipsius igitur veritatis internæ commendatione gravissimum est, quod quævis gentilium Theologia erga Christianæ veritatis Solem spissarum instar tenebrarum se habeat. Tullius I-

tervæ annumerat. Philosophi enim, inquit, summi intelligunt, in summo te esse malo, quod sunt insipientes. Et optimus ac gravissimus quisque confitetur, multa se ignorare, multa sibi etiam atque etiam esse discenda (a). Maluit Noster ignorantiam suam agnoscere, quam turgidam jactando scientiam sibi aliisque fraudi esse. Hinc præsci illi sapientiæ statores, quibus veritas cordi fuit, a signis non digressi sunt, sed pensitatis rationum ponderibus, graviter pronunciarunt: Maxima pars eorum, quæ scimus, est minima eorum, quæ nescimus. Sobrium enim Philosophum decet non inmemorem esse Ciceroniani illius: Hæc est una omnis sapientia, non arbitrari sese scire quod nesciat (b). Quis ergo heic splendidissimū expectabit lumen, cum ipsemet vix crepusculum promittat? Non igitur est quod rigide nimis, quæ in Tullio desiderari possunt, ab illo exquiramus, utraq; posse, quod ajunt, ipsum obligemus. Absit, absit, inquã, a nobis tam importuna & callosa impudentia. Quot homines, tot sententiæ; falli igitur possumus. Magnus etiam quandoq; dormitat Homerus. Sed Ciceronis mastiges, qui tanquam aranæ ex optimis quibusvis exfugunt id, quod pessimum est; adeoq; Castalidum gloriam sæpe obscurant, ipsorum torqueat virus.

(a) L. 3. Tuscul. qu. §. 68. 69. (b) L. 1. Acad. qu.

§. XI

Rex vero luminis DEUS, qui sine fine & bonus & sapiens est, nobisq; potestatem dedit ingrediendi civitatem suam, in qua majus est lumen, concedat nobis vires hoc rite utendi, quo quidem indigni sumus, natura profani, gratia feliciores. Faciat etiam Præsens & Præpotens Numen, ut omnes nostræ scientiæ non vitiorum, sed virtutum, sint ministræ, ducentes ad Dei gloriam, quæ omnium actionum nostrarum summus ac summus est

F I N I S.

* * * * *